

Das Museum des Alten P. Reichsgerichts zu
Weißwasserhausen. Die 28. Februar. Berlin 1807.

B. 9364

Grinspuren des Künslers vollständig ab in
Längenmaßen aufzählen. ~~Die~~ Künstler
gibt es nur 1600, die größten 3 Minuten
~~Wochentage~~ der grössten 3 Bildmäntel sind
und sind zufrieden 3 genau gewünscht.
Zuerst sind alle künstlichen Künstler mit
gezählt (abgesehen Clemens Alexander., Hieronymus,
Achobius u. a. den Biblog. nützlich sind) ~~die~~
~~Nach~~ jedes sind die Buche des goldgrauen,
Ornithos, Luvien, Galenus. einzeln zu-
zählt werden, welche sie gegen d. Eltern geschildert
sind. Nichts aufzählen.

~~Die~~ Summe des gewünschten Künslers belaufen sich
auf 1600. Künstler einzeln über ~~die~~ $\frac{1}{4}$ des Grinspuren
eingetragen und es ist mit den 1600 zu rechnen.
Künstlerkosten Kommt Luvies Archonius von
450 Künstlern 3 fragenwerth.

Anhänger und Gegner d. Künstlers nach
Bücherarten der beiden Künstlerkosten d. auf ihnen
Rohrleitung nützlich ist. Spießt sie ist genau
gezählt d. ungezählte verloren. Man hat
d. von ihnen und gezählten Künstlerkosten aus
mitzählen d. Spießt sie nur nicht zu ab. Dieser allgemeine
Bildung hat d. vorige d. man verfügbare ~~so~~ mit
genügt Andover, Homer, Hesiodus etc.

Editionem alteram curavit D. Z. S.
Kaufhuss epistola praesina, in
qua differitur de ingenio, doctrina
et moribus Füllendorfii. Vratislaviae
sumtibus Meyer 1805. (14r)

In d. vorgeschickten Epistel sind alle, was Füller
hier geschrieben hat, ausgelaßt.

Durch viele Unterhalt machen mir in den Krieg
gefallen in Altona, und die Altonaer mit zu jenen
zu gehörig sind ich zumal darin in den Frei-
schaftlichen Kreis hinein zu passieren. Und
ist ein Abstoss des Kriegsgefecht, so da kann es
aber ohne Friedensgefecht nur selten passir.

Da ist der Jubel des Konservativen, der Konservativen,
der sind mit dem Frieden. Der Konservativen, und auch
solche gehorchen der Friedlichen Zustand des Frieden
Römers, mit ihres Cultus, von Tempel, Kirchen
Misionarischen, Rittern, Religion, National - Freyheit,
der Denkmalen bekant seyn, um die und sind ge-
heime Meister gründlich zu verstecken. Und fin-
stern in ihrem Gefall der Frieden, und mit Kriegswaffen
und Leben der Freyheit. Alles Grübeln zu gewinnen.

To. Wolf in Wittenberg. A.D. 1805. 1805. 1805.

Berlin Kurort 1805. 1805.

ENCYCLOPAEDIA
PHILOLOGICA

SIVE
PRIMAE LINEAE
ISAGOGES

IN
ANTIQUARUM LITERARUM STUDIA
AD USUM LECTIONUM

DUCTAE

2

GEORG GUSTAV FÜLLEBORN
Prof. antiqu. liter. in Gymn. Elisabet. Vratislav.

don. auctor.

Lange.

Vratislaviae impensis E. Th. Meyeri.

1 7 9 8.

2.
KÖEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

VIRIS

SUMME VENERANDIS

DOCTISSIMIS MERITISSIMIS

JOANNI DAV. GERHARD

THEOL. DOCTORI

Regi Boruss. a consiliis Supr. Consist. Ecclesiarum et
Scholarum A. C. Inspector, S. S. Theol. in Gym-
nasio Vratisl. utroque Professori primario

JOANNI EPHRAIM
SCHEIBEL


Scholarum A. C. Insp. Secundo, Gymn. Elisab. Rectori,
Math. et Phys. utr. Gymn. Professori, Bibliothecae
Rhedig. Praefecto, Academ. Reg. Bor. Scient. So-
cali, Societati Reg. Britann. Gotting. a commerciis li-
terar., Societatibus Regiis Teuton. Regiomont. literar.
Francofurt. ad Viadr., oeconom. Potsdam. adscripto

FAUTORIBUS ET AMICIS

PIE COLENDIS

A U C T O R.





Librum Vobis offero, Viri Venerabiles, non splendidum illum quidem, neque rerum vel novitate vel magnitudine conspicuum, sed utilem, spero, sed grati animi meaeque erga Vos observantiae pignus sincerimum. Quem si vultu sereno animoque benevolo susceperitis, quid consilii in eo scribendo secutus sim, paucis accipite.

Utiliter in Gymnasio nostro praeter alia multa hoc quoque institutum est, ut statis lectionibus encyclopaedia philologica proponatur, ex qua intelligant auditores, quae sit harum literarum indoles,

doles, qui ambitus, usus, quae denique dignitas et praestantia. At vero, ne forte, neglectis scholasticae institutionis finibus, huic lectioni nimium temporis impenderetur, reliquis utilioribus detractum, sedulo providendum erat et est a Vobis, Viri Peritissimi, sapienter provisum.

Quare huic Vestro consilio ut, quantum possem, satisfacerem, ita rem institueram, ut hanc lectionem encyclopaedicam centum fere horis (biennio et quod excurrat) absolverem, aegre quidem huc usque, cum multum temporis dictandi mora periret. Nunc hic libellus me ipsum, spero, sublevabit in docendo, auditores in scribendo et repetendo.

Dedi

Dedi enim, quod ipse libelli titulus
indicat, talis Eucyclopaediae primas li-
neas; ita quidem, ut alias disciplinas
paullo curatius adumbrarem, in aliis
desultorie agerem, uti in *historia*, quam
in scholis suis collega coniunctissimus
uberius illustrat, in *geographia*, cu-
ius summa capita in antiquitatibus ex-
plicantur, reliqua in lectione auctorum
attinguntur, et in antiquitatibus
graecis, quas separatim et prolixius
exponere scholasticae institutionis ratio-
nos non ita facile sinit.

In laudandis libris ipsi videbitis,
Viri literatissimi, me hoc consi-
lium esse secutum, ut non omnes ne-
que plerosque, sed praestantissimos, et
ex praestantissimis indicarem partim
eos,

eos, in quibus alii plures libri huc fa-
 cientes laudantur, partim eos, quos
 vel comparare sibi vel commodatos ac-
 cipere studiosi facillime possent. Quod
 autem passim ipsis verbis virorum do-
 ctorum usus sum, Gesneri, Ernestii,
 Heynii, Beckii, id neminem mihi vitio
 daturum esse confido.

Valete, Viri virtutis et doctrinae
 gratia venerandi, meque Vestrae bene-
 volentiae, ut fecistis, habete commen-
 datissimum. Vratislaviae mense Janua-
 rio 1798.

ENCYCLOPAEDIA *)
PHILOLOGICA.

PROLEGOMENA.

§ I. Philologia (α φιλέω et λόγοι) est docta antiquitatis cognitio. Antiquitatem ~~hanc~~ ἐργάζοντες dicimus, quidquid pertinet ad nobilissimas orbis antiqui gentes, Graecos et Romanos: cuius cognitio ut docta merito audiat, requiritur, ut sit ex ipsis fontibus hausta. — Appellatur quoque haec disciplina *humanitas*, *studium humanitatis*, *artes humanitatis*, *literatura*, *literae antiquae s. antiquitatis*: germ. alte *Literatur*, *klassische Litteratur*; *humanistisches Studium*, *Alterthumswissenschaft*, *Alterthumskunde*, nimis anguste *Sprachenkunde*.

I. Vca

*) Encyclopaediam hodie appellamus generalem conspectum omnium vel singulorum disciplinarum et artium, in quo summa earum capita cum optimis in quoque genere libris breviter indicantur. Quid Veteres sub voce Ἐγκυρίας παιδεία intellexerint, exposuit Wower de Polymathia c. 24.

A

1. Veteribus philologia est: disputatio de rebus eruditis: eruditio institutioque in bonas artes: multiplex variaque doctrina. Vide *Ernesti Clav. Cieer. in Ind. Gr. et Wolver de Poly-mathia c. 15.*
2. De voce humanitas conf. *Ernesti ibid. h. v. De vocabulo classicus Gell. N. A. XIX. 8. coll. VII. 13.*
Eschenburg Handbuch der classischen Literatur. Berl. 1791 8.
Koch Encyclopaedie aller philologischen Wissenschaften. Berl. 1793 8.
Heeren Geschichte des Studiums der classischen Literatur. Gött. 1797 8.
- §. 2. De necessitate et utilitate huius studii multa sunt a viris doctis in utramque partem disputata. Fuerunt enim quamplurimi, qui illud propter nimiam ejus difficultatem et exiguum, ut putant, in vita communis utilitatem ex orbe disciplinarum et institutionis excludi vellent, sive paucis *) ad summum ingenii reservarent. Sufficiant autem ad illud commendandum haec pauca:
1. Habemus hoc omnes, ut vetera et antiqua nobis placeant, et animum nostrum sin-

*) In mente venit illud *Lutheri* in Epistola ad Magistratus Civitatum Germ. T. XIX. p. 337. „Weil er (der Teufel) nicht hat mögen wehren, dass die Sprachen herfür kämen, denket er doch sie also schmal zu halten, dass sie von ihnen selbst sollen wieder vergehen und fallen.“

singulari quadam voluptate afficiant. Atque haec curiositas utilissima ratione his ipsis studiis expletur.

2. Cum omnino humanitatis intersit, nosse quamplurimas variasque gentes, ut naturae humanae indoles undique spectata accuratius possit cognosci:
3. faciant huc in primis antiquae gentes: quae quo sunt antiquiores, eo magis a nobis et reliquis gentibus recentioribus diversae, eoque plura praebent observanda et discenda, quae alibi nusquam reperias.
4. Graecos autem gentium antiquarum fuisse praestantissimos, in confesso est: quippe qui a) suam sibi culturam ipsi debeant, ut in iis natura, quid efficere possit, videatur experta, b) gens propria fuerint et sincera et sui similis (Original) c) et totum quasi orbem multiplicis variaeque culturae emensi.
5. Ditissimi fuere Graeci et Romani summis in quoque genere viris, (Ipsum nosse magnos homines evexit mentem et erigit, Gesn.) et rebus gestis memoria dignissimis.
6. Ingenii cultu variaque doctrina politissimi: ut quibus leges nostras, literas artesque debeamus:

7. Quare cum his studiis *omnis vera eruditio arctissime* habetur conjuncta: Theologia, Jurisprudentia, Ars medica, Historia, Literatura;
8. cuius rei testis est, praeter alia multa, *historia medii aevi* et instauracionis literarum sec. XIV.
9. Cum autem omne omnino *linguarum* studium animi vires excitet, memoriam exerceat, ingenium acuat, et rerum notiobibus instruat:
10. tum imprimis *antiquarum linguarum* studia hoc nomine commendantur,
11. quae quasi *historiam notionum humanarum* suppeditant,
12. et *paradigmata linguarum omnium cultarum* habentur:
13. Libri veteres, quorum linguae mortuae sunt, *perpetua manent bene dicendi exempla*, cum linguae vivae in dies mutantur. *)
14. Fuerunt etiam auctorum veterum rationes et consilia a nostris admodum diversa. Cogita, qui scripserint, *quo tempore, quid, qua ratione, cur?*

15. Mi-

*) Quantum interpretatio veterum scriptorum prosit cum ad primitam judicandi subtilitatem, quid sit bene, eleganterque dictum, tum ad ipsam recte dicendi et scribendi facultatem, demonstratione non eger.

15. Migravit autem tota fere antiquitas in literas nostras, ut neque recentiores auctores elegantissimos gustare possit et intelligere, nisi qui sit antiquis literis instrutus, (*Wieland, Pope, Swift, Goethe etc.*)
16. *Difficultates et minutiae*, quibus offenduntur huius studii contemtores, apprime faciunt ad ingenia varie subigenda et accuratae diligentiae criticaeque subtilitati adsuefacienda. Ne quis tam parva fastidiat elementa: — quia interiora velut huius sacri adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quae nou modo acuere ingenia, sed exercere altissimam quoque erudititionem et scientiam possit. *Quinct. Inst. Or. I. 4.*
17. Id quod in primis spectandum est in prima *juventutis institutione*. Recte *Quintillianus*: Difficiliora debent esse, quae exercent, quo sit levius ipsum illud, in quod exercent. (*Inst. Or. XI. 2. 42.*) Illustrat hoc instituendi ratio apud Anglos recepta, (de qua vide (*Kuettners*) Beiträge zur Kennsniss des Innern von England. XII. p. 120. et passim)
18. De necessitate *linguae cuiusdam eruditac*, ut vocatur, quam omnes omnium gentium viri docti intelligent, vix opus est monere. *Conf. Noesselt Anweisung zur Bildung angebender Thcol. T.I. §. 124. sq.*

Que

Quae quidem commoda si qui putant maximam partem ex vernaculis veterum auctorum versionibus percipi posse, vehementer errant. Nam ut de iis taceam, quae dicta sunt n. 9 — 12. 13. 14. 16. 17. 18. negari tamen non potest, neque posse omnes Veterum libros verti, neque versiones, quamvis optimas, integra reddere Originalia, *) neque ejusmodi cognitionem certam esse et accuratam. Conf. Noesselt l. c. §. 108. sq.

§. 3. Dividimus hanc Encyclopaediam in duas partes, quarum prima s. fundamentalis eas complectitur disciplinas, quae viam pandunt ad adeundos antiquitatis fontes (§. 1.) h. e. ad legendos et intelligendos veteres auctores. Sunt hae:

1. Grammatica.

2. Critica.

3. Hermeneutica.

Altera

*) Verissime Scaliger Exercit. 294. „Sic censeo, Veneri propria quasique nativo cuiusque linguae decorre foveri sententias quasdam, subnixasque ceteris, ut ita dicam, idiotismi fulturis sustineri, quas in aliam quasi coloniam si deducas, iidem sane sint cives, sed gratiam pristinac comminicationis non retinebant. Sunt pigmenta quaedam Hispanicae argutiae, Tuscae eloquentiae, Gallicae veneris, Germanici impetus; quae si cum exteris comunitentur, sensus quidem manet, fluxus tamen commensusque vel verborum vel numerorum, amittit vegetum illum nitorem, illamque lucis elegantiam, quibus eminebant in auri- bus indigenarum.“

Prolegomena.

7

*Altera pars s. historica s. realis de iis agit,
quae ipsam antiquitatis cognitionem histori-
cam efficiunt.*

1. *Historia civilis*, cum *Geographia* et *Chronologia*.
 2. *Historia rituum, morum etc.* vulgo *Antiquitates*.
 3. *Historia religionum, Mythologia*.
 4. *Historia literarum, Literatura*.
 5. *Historia artis, Archæologia*.

Conf. Brehm's Bibliographisches Handbuch der gesammten griech. und Röm. Literatur. To. I. Lips. 1797.

PARS

200

Stimmo de bello philo. Grammatica scripturis
verbis et aliis signis. In libro autem circuiter
quatuor regimur. Quarto. De locis et
Signis. Vero quinto. Grammatica. Etiam quod
significatio vel significans in aliis tractat. Propter
etiam.

PARS PRIMA SIVE FUNDAMENTALIS.

I. GRAMMATICA.

§. 4. Grammatica hodie dicitur *complexus legum et regularum alicuius linguae*. Veteribus Grammatica idem fere erat, quod hodie Philologiam appellamus: recte loquendi scribendique ratio, poëtarum, scriptorum et historiarum intellectus et promta expositio. Cf. Woller de Polym c. VIII.

Ut vero regulae certae, ad solidam aliquius linguae cognitionem necessariae consti-
tuantur, ante omnia possibilitas huius vel illius mutationis extra dubium est collocanda,
rum mutationum causae e certis principiis sunt deducendae. Confert huic scientia,
quaes possibilitem mutationum alicuius linguae certa conclusionum serie adstruit, et ea-
rum causas e certis principiis demonstrat, sive *Grammatica universalis philosophica*. Conf.
§. 24.

Sunt

Sunt autem universalia huius scientiae principia haec fere:

1. Cum mutationes in linguis non arbitrariae sint, sed nativo organorum mechanismo peragantur, ante omnia huius mechanismi vis et natura est attendenda, neque ulla mutatio admittenda, quae nativae organorum vocalium structuræ repugnat.

2. Variatio et permutatio vocum maximum partem in sonorum vel similitudine vel dissimilitudine fundata est.

3. Linguarum affectiones pleraeque a diverso coeli tractu, atque gentis cuiusque factis et vicissitudinibus repetendæ sunt. Propria est cuique linguae euphonia, propriae literas et verba mutandi rationes, propriae figuræ.

4. Maximam vim et potestatem habent characteres gentium (ut vocantur) et opiniones in linguas, et linguae in opiniones.

5. Nulla igitur lingua ad alterius linguae ingenium est dimetienda, sed proprium eiusque ingenium explorandum. At cum interna quaedam sit linguarum omnium analogia, notitia plurium linguarum ad cognitionem alicuius philosophicam plurimum confert.

I. GRAMMATICA LINGUÆ GRAECAE.

§. 5. De origine L. G. non liquet. Alii eam a Gothica deduxerunt, alii ex Aegypto,

Von der 5. von dem Philologen ist nicht mehr zu sehen.

*Und Egyptus war freilich modern von Rom eingezogen und nicht /
zu bestreiten. Aber dies ist keine gesicherte Thatsache.
Die latein. Dialekt. mag ja.*

alii ex lingua hebraica, alii denique ex antiquissima Celtica. Minime omnium videntur errare, qui eam suo solo enatam iudicant, sed subinde mutatam. Cf. Harles Introd. in histor. L. G. Prolegom.

§. 6. Distinguendum est inter L. Graecam antiquam (usque ad Saec. IV. extr.) medium, (inde usque ad Saec. XV.) novam seu barbaro-graecam.

Scriptores historiae L. Graecae laudat Simonis Introd. in L. G. p. 31. Harles l. c. et Lewätz Handbuch für Bücherfreunde, To. I: et Nachtrag.

§. 7. Est autem L. G. dignissima, quae accurate discatur: quippe *antiqua, copiosa, philosophica, elegans* et optimis in quovis genere libris dives. Adde quod sit originalis Novi Testamenti.

Vide, quae de virtutibus eius (in primis de brevitate, claritate et euphoniam) uberiorius exposuit Trendelenburg *Vergleichung der Vorzüge der deutschen, lat. und griechischen Sprachen. (Schriften der Mannheimer Gesellsch. To. IV.)*

§. 8. Habet ea literas XXIV, non semel inventas, in his *Vocales VII, (αιρητογος XII,* proprias et inproperias, ut vulgo appellantur.) In fine vocabulorum omnes esse possunt Vocales; consonantes autem tres tantum finales habentur, *v, ξ, σ*, (cum *ξ* et *ψ*.) Duac particulae habent *η*, *έη* et *ου*.

§. 9.

§. 9. Pronunciatio L. Gr. in ipsa Graecia diversa fuit, pro temporibus et regionibus. Hodie duae in usu sunt pronunciandi rationes, una ab inventore *Reuchlino* appellata (*Iracismus,*) altera ab *Erasmo* (*Aetacismus,*) utraque iustis rationibus innixa. Conf. *Haverkamp Sylloge Scriptorum de L. Gr. pron.* Lugd. 1736. 2 Vol. 8 et *Harles l. c. §. 7.* Optimum videtur, utramque sequi, et *au*, *eu*, *oi*, *ui*, *eu* pronunciare cum *Reuchlino* (ut af. *i*, *e*, *ae*, *ef*,) & vero cum *Erasmo*, (ut *ae* sive *e*.)

§. 10. Difficilis est sed scitu necessaria doctrina de *mutatione* et *contractione literarum*, in qua maxime linguae auriumque commoditatem Graeci videntur secuti.

§. 11. *Declinationes* Graeci habent III, *sus V*, *numeros III*, (e quibus Dualis, ab ipsis Graecis auctoribus saepius negligitur) *genera III.*

Peculiaris est Graecis *articulus*.

§. 12. *Verba* graeca habent *Voces III*, *Activam*, *Passivam*, *Mediam*, quam eruditii nonnulli prorsus tollunt. Conf. *Trendelenburg Gr. Sprachl. Praef.* — *Modos*, quot Latini, addito tamen *Optativo*, — *Tempora* praeter solita *Aoristum*, (qui saepius praeteriti vim habet, in periodis protasin dicit et pro *praesenti* valet, ubi Latini dicunt: *fieri solet.*) — *doris.*

Aoristi duo et *futura* duo immo tria ex diversis verborum typis composita. — *Numeros III.*

Mutantur Verba in Vocibus, Modis Temporibus, et Personis et Numeris ab *initio*, in *medio* et in *fine*.

§. 13. De *Idiomatibus* Gr. L. consule *Viger* de *Idiotismis* Gr. L. ed. Zcune Lips. 1777.
8. De *Ellipsibus* Bos ex ed. Schwebel No-
rib. 1767 8. De *Particulis* Hoogeveen ex ed.
Schütz Lips. 1788 8. Plura congesit *Harles*
l. c. §. 12. sq. De *Prosodia* idem §. 15.

§. 14. De signis, quae vocantur *spiritus*,
asper et *lenis* cf. *Simonis* l. c. Olim adspiratio
apud Gr. literis H, F et V expressa est, quae
et in linguam latinam venere, post in signa
minutiora mutata. — *Accentus* scriptos insci-
tia modulandae vocis, vel *acuendae* (acus) *vel*
submittendae (circumflexus) peperit, initio
facto, quoad exemplis certis constat, seculo
sesto. Conf. *Harles* l. c. §. 6.

§. 15. Dialectos praecipuas habet L. G.
tres: *Jonicam* (similem nostrae *Plattdeutsch*)
Homeri, *Hesiodi*, *Gnomicorum*, *Herodoti*,
Hippocratis etc. *Doricam* (*Aeolicam*, *Ober-*
deutsch) *Pythagoreorum*, *Pindari*, *Theocriti*
etc., *Atticam* (*Hochdeutsch*) *Oratorum*, *Dra-*
maticorum, *Historicorum* plerorumque,
Philosophorum etc. Conf. auctores, quos
laudat *Harles* l. c. §. 9.

§. 16.

§. 16. Subsidia ad Gr. L. ediscendam,
praecipua sunt:

- I. libri Grammatici, antiquiores: Apollo-nii Alexandri Discoli, Moschopuli, etc. recentiores: Jac. Welleri (cum animadvers, Fischeri) Marchica, Halensis, Jehnii, Trendelenburg etc.
- II. Scholia et Commentatores antiquiores, Eustathius in Homer. Scholia in Pindarum, Aristophanem, Euripidem, Apollonium Rhodium, Tzetzes etc. De recentioribus vide Hermeneut. §. 64.
- III. Lexica:

- a. Glossaria: Phrynicus, Moeris, Thomas Mag., Harpocration, Hesychius, Apollonius Sophista, Etymologicum Magnum.
- b. Onomastica: Pollux, Suidas.
Conf. Ernesti de Glossariorum Graec.
vera indole et recto usu. Opusc.
Phil.
- c. Lexica generaliora, et maiora: Phavolini Cam. (1537) Budaei, Diction. a viris septem collectum (Bas. 1560 fol.) Henr. Stephani Thesaurus Gr. l. Gen. 1572 fol. IV Voll. cum suppl. Scotti et aliorum. Scapulae Lex. Gr. Basil. 1665. fol.
E minoribus: Robertson thes. Lond. 1676. 4. Hederich lex. man. cura Ernesti. Lips. 1792. 8. Zimmermann,

mann, *Vollbeding*, *Dillenius*, *Schneider* (cuius censuram conf. in *Allgem. Liter. Zeit.* Aug. 1797.)

- d. *Specialiora*: *Damm Lex. Homericum*, plura in Nov. Test. e. g. *Schleusneri*. *Porti Lex. Doricum*. *Lexicon Technologiae Graecorum rhetoricae*, congressit J. C. Th. *Ernesti* Lips. 1795. (opus egregium et multis nominibus commendandum.)
- e. *Synonymica*: *Penceri Lex. vocum graec: syn.* Dresd. 1766. 8.
- f. *Indices auctorum singulorum*, ut in editionibus *Fischeri*, et aliorum.

§. 17. *De media et insima Graecitate consule*, *du Fresne Glossarium ad scr. m. e. i. G. Lugd.* 1688. II. *Voll. f. De barbaro-graecca*, *Langii Philologia barb. gr. Norib.* 1708. 4. *Neu-Griechisches Lexicon* Leipz. 1796. 8.

2. LINGUAE LATINAЕ.

§. 18. Lingua Latinam ab Aeolica fluxisse, multis per barbaras gentes subinde inventis, communis est virorum doctissimorum sententia. De reliquis Criticorum sententiis conf. *Harles* *Introductio in Notit. Literaturae Rom.* in *Prolegg.* Sect. II.

Historiam L. L. plures illustrarunt autores, quorum recensum dedit *Harles* L. c. *Prolegg.* Sect. I. §. 1. et 2. *Graviora inde excerpti*

cerpsi in libello meo: *Kurze Theorie des lateinschen Styls. Einl.*

§. 19. De literis, declinatione, coniugatione, pronunciatione, orthographia et aliis locis grammaticis nihil hoc loco monemus, cum hic libellus provectionibus sit scriptus, quos delegamus ad libros Grammaticos et Lexica. Adeant praeterea *Walchii* histor. crit. L. L. Lips. 1761. 8.

Grammaticae latinae auctores antiqui
— Opera et studio *Putschii*. Hannov.

1605. 4.

J. Gaes. *Scaliger de causis L. L.* Lugd.
1540. 4. Gerh. Jo. *Vossii Aristarchus*,
Amst. 1695. 4.

Sanctii Minerva ed. *Bauer*.

Scioppii Grammat. philos. Augsb. 1712 8.

Grammatica Marchica — *Schwarzii* —

Kistemaker — *Plagemann* — *Meierotto*

— *Scheller* — *Broeder* etc.

Lexica ex innumeris praecipua haec: *Fabri Thesaurus Eruditionis Scholast.* ed. J. M. Gesner. Lips. 1753. 2 Vol. f.

Noltenii Lexicon L. L. antibarbarum
Berol. 1780. 2 T. 8.

Jani Schul-Lexicon — *Bauer Teutsch-Lateinisches Lex.* — *Schellers ausführ. Lat. Deutsch Lex.* J. C. Th. *Ernesii Lexicon Technologiae Latinorum rhetoricae.* Lips. 1797 (Cf. supra §. 16.)

Indi

Indices e. g. Ernesti Clavis Cicer. — Cicero de Offic. ed. Heusinger etc.

Du Fresne Glossarium ad scriptores mediae et infimae Latinitatis (novissime ed.)

Ven. 1736—40. 6. Voll. f.

Adelung Glossarium Manuale. Halae 1771—84. 6 Voll. 8.

§. 20. Praecipua momenta. in quibus

L. L. a Germanica differt, haec fere sunt:

1. L. L. caret *articulis nominum*. (Virtus est res praeclaras, *Die Tugend ist eine vor treffliche Sache.*)

2. L. L. habet casum *ablativum*, a nobis ope praepositionum exprimendum.

3. Propria sunt eidem *Gerundia* et *Supina*.

4. *Participia* habent Latini plura et genere et casibus *flexibilia*, (ablativus consequentiae.)

5. Subtilior est L. L. in pronominibus, *se eum, ipsum, suus, eius*.

6. Saepius utitur simpliciter *Casibus*, ubi nos praepositiones adhibemus: *Vir magni ingenii, gloriae cupidus*.

7. Differt etiam latiore usu *accusativi cum infinitivo*.

8. Liberiore vocabulorum ordine: *magna domus, domus magna; bono cum Deo, cum bono Deo; magnus patriae amor, magnus amor patriae; praeclaras sunt eius merita, merita eius praeclaras sunt, sunt eius merita praeclaras. In multis*

multis autem vocabulorum ordo certus est:
nam, enim, autem, sed, suos quisque, quinto
quovis anno, optimus quisque etc.

9. Ipsa periodorum natura, (quam ex
ipsius linguae indole illustravit *Trendelenburg*
Ueber die Vorzüge etc. pag. 272 sq.) e. g.
Quem, quia, quod semper volui, murus inter-
est, non timeo. Pertinet huc usus relativorum,
pronominis *qui*, particularum *ubi*,
unde etc. *Quod cum audivissem, Quibus au-*
ditis, Quod precatus a Jove. Cic. Orat. post
Red. ad Quir. I.

10. Variis ellipsisbus: diutius justo, spe
major, *Alexandro fortior.*

11. Rectione modorum: cum haec ita sint;
tantum abest, ut sciatur; nescio an viderit;
sunt, qui dicant.

12. Verbis auxiliaribus, quae in activo
sola terminatione indicantur: *amavi, dedit,*
dixeramus.

13. Verbis deponentibus et defectivis, eo-
rumque rectione: *me oportet.*

14. In vocabulis componendis parum licet
linguae latinae. Duriuscule dixeris: *rectan-*
gularis, bimembris — Ueberzeugungsgrund,
Strafwürdigkeit, Schmerzstillend, Vereinigungs-
plan, et innumera alia latine circumscri-
benda sunt.

§. 21. Diversa sunt eorum, qui linguam
latinam addiscunt, consilia. Nam qui ea
modo ut instrumento uti volunt, iis potest

Foro solloq. & Litteris philologis & Juridicis suffi-

sufficere ipsa vulgaris notitia Grammaticae, et usus qualiscunque ex libris trivialibus, et disciplinae, quam tractant, propriis collectus. *)

§. 22. At qui, ad cultum mentis altiorum, summos omnis aevi homines interius nosse, et de praestantissimis animabus alii quid in se derivare, qui populi principis res volunt exquisitius cognoscere, qui scribere aliquid legendum ubique et duraturum, dum in honore erunt literae, iis opus est uberiore haustu Grammatices, auxilio Graecae linguae, et familiariore usu scriptorum, et adsiduis exercitationibus interpretandi et scribendi.

§. 23. His igitur praeter Opera grammatica Scaligeri, Vossii, Sanctii rel. commendamus libros, qui de variis linguae lat. syntaxeos locis accuratius agunt: Fechneri Helle-nolexia, ed. Heusinger. Goth. 1734. 4. Hor. Tursellimus de particulis lat. orationis. Lips. 1769. 8. Lindner über die lat. Ellipsen. Frkf.

*) Cum duae potissimum rationes latinam linguam pueros docendi in usum venerint, quarum altera statim a loquendo et interpretando incipit, altera prius grammaticas regulas et vocabula pueros ediscere iubet: prior sine dubio convenit ad instituendos eos, de quibus §. 21. diximus, posterior, solida magis et accurata, apud eos erit adhibenda, qui §. 22. laudantur. Conf. Nösselt Anw. Vol. I. §. 68. sq. Trapp Ueber den Unterricht in Sprachen. Braunschweig 1788 8. Ueber die Versinnlichungs- und Sprechmethode in Wiedenburgs human. Magazin, Jahrg. 1788.

Frct. 1780. 8. etc. Adeant quoque editio-
nes auctorum latinorum eas, quas indicavi-
mus *Hermeneut.* §. 64.

§. 24. Requiritur etiam ad l. l. philoso-
phicum studium a. accurata cognitio *historiae*
huius linguae (§. 18.) b. studium *Grammaticae*
philosophicae: *Hermes or a philosophical*
Inquiry concerning univ. Grammer. by *Har-*
riss, übersetzt von *Ewerbeck*. Hal. 1789. 8.
Meiner Philosophische und allgem. Sprach-
lehre. Leipz. 1781. 8. (cuius vide Praefat.)

Cf. §. 4.

§. 25. Ars latine *scribendi*, quamquam
facilius discitur exercitatione, tamen praecip-
tis quoque non parum adiuvatur.

Heineccii Fundam. styli cultioris.

Scheller Praecepta styli bene latini.

Röchling Anweis. zum richtigen und gu-
sen Ausdruck der lat. Spr. Francf.

1785. 8.

Nostra kurze Theorie des lat. Styls.

Breslau 1793. 8.

Ketel Scr. selecti de comparanda elegan-
tiori latinitate. Amst. 1713. 4.

De excerptendo — imitando — verten-
do — retro vertendo — de paraphrasi-
bus — de recitando — de legendis li-
bris recentioribus latine scriptis, Mure-
ti, Manutii, Erasmi, Ernestii, Ruhn-
kenii, Wolfii etc. — de phrasiologiis
— de exercitiis latine loquendi e. s. p.

B 2

§. 26.

§. 26. Utilissima est exercitatio in *versibus latinis* componendis, ut optima prosodiae institutio; praeclara exercitatio in latine scribendo; introductio quasi in subtiliores linguae leges; et subsidium ad recte intelligendos, et si quando opus fuerit, emendandos veteres poëtas, e. s. p.

Poëtica maior Giessensis 1607.

Jani Grammatica lat. poëtica. Vulgati libri Smetii, Aleri etc.

II. C R I T I C A.

§. 27. *Critica philologica* docet regulas, secundum quas vel tota antiquorum scriptorum opera suis temporibus et auctoribus designare, falsis autem admovere, vel de singularem partium, sanitate vel conservanda vel restituenda iudicium certum aut divinationem probabilem interponere debeamus.

De variis significationibus vocis *Critica*.

De arte critica apud Graecos et Romanos.

Cf. Clerici Ars critica. Amst. 1712. 3 Voll.

8. Elemens de Critique par Morel. Par.

1766. 8.

A. *Critica textus sive emendatrix.*

§. 28. Libros veterum auctorum admodum corruptos ad nostram actatem pervenisse,

Exemplari qualitate rura et tantopere se, expletato editione reoupa est illa prima, in Germania, qua proedit Leipzig 1730.

se. nemo mirabitur, qui eorum fata novit.
 Cf. Heeren Gesch. der classischen Literatur.
 Sunt autem aliae corruptelae *antiquae*, aliae
novae: multae *fraude* factae, plures *casu et*
negligentia.

§. 29. *Vel* diverse leguntur loca in variis Codicibus: *vel* vocabula adsunt barbara, minus apta, sensum turbantia: *vel* exciderunt vocabula singula et integræ sententiae (lacuna:) *vel* abundant voces et sententiae (interpolatio) *vel* transpositæ sunt (luxatura.) Alia Grammaticæ adversantur, alia sensui, alia scriptoris ipsius ingenio, alia historiae e.s. p.

§. 30. Harum igitur corruptionum plures caussae sunt. *Prima* et latissime patens est in *librariis*, eorumque negligentia et inscititia: dum dictantes male aut literas pronunciarent, aut dividerent verba ac legerent, scribentes vero male exciperent dictata, aut porro exemplum, quamvis rectum, male describerent, omittentes verba, transponentes, dividentes, coniungentes, repetentes, omninoque male legentes, non intellecris notiora substituentes, glossas item scholia textui inserentes.

Codices a blattis et tineis corrosi — mutatae saepius literarum figuræ — (scriptura Langobardica, scriptura continens) signa interpunctionis incerta et variata — compendia scripturae — facilis literarum confusio ob similitudinem figuræ

rae et pronunciationis — nimia libra-
riorum et stolida mundities, qui lituris
codices foedare timebant — etc. etc.

Conf. Montfaucon Palaeographia graeca. Par.
1708. fol.

Nouveau traité de Diplomatique (Neues
Lehrgebäude der Dipl. Francf. 1759
9 Voll. 4.)

§. 31. Secunda est in Grammaticis, codi-
cum correctoribus aut possessорibus.

Alii enim, quae non intelligebant, quae
obscuriora, duriora, supervacua, pertur-
bata, omissa, obscoene dicta, falsa videban-
tur, ea mutare, corrigere, interpretari, omit-
tere, atque ita textum varie interpolare ausi
sunt, quo pertinent, qui loca quaedam ad
christianae disciplinae legem immutarunt.

Alii Codices instruxere glossis inter ver-
siculos aut in margine scriptis, locis simili-
bus adnotatis, ad usus minus doctorum aut
suos ipsorum, non malo consilio, nec ut ea,
quae adscriptissent, in textum reciperentur.

Persecuti sunt varias interpolationum cau-
sas, praeter eos, quos laudavimus, Schrade-
rus Emendd. c. X. sq. Wolfius ad Hesiod.
Theog. p. 54. sq.

§. 32. Tertia est in libris editis, in quibus
pleraque acciderunt eorum, quae modo dix-
imus, cum sit a typographis, correctoribus et
editoribus varie peccatum.

§. 33.

§. 33. Emendantur autem eiusmodi corruptelae vel ex Codicibus scriptis, vel ex aucto-ribus aliis, quorum alias ex alio integra loca adfert, interpretatus est aut commentatus, vel ex antiquis editionibus bonis, vel ex ingenio, sive coniectando.

§. 34. Est autem lectionum aestimandarum non idem modus. Nam vel in se spec-tantur, vel e fonte ponderantur. Cum in se spectantur, vel gravitas lectionis, vel bonitas aestimatur. Quaedam enim sunt plane et omni modo sensu et verbis pares: quaedam sensu tantum, cum in altero verbo sit ali- quid elegantius; quaedam plane diversum sensum fundunt. Bonitas partim verborum est, partim sententiae. Nam meliorem lectio-nem dicimus, quae est grammatice vel rhe-torice rectior et elegantior, certe exquisitior. Maxime tamen iudicatur sensu ad consilium scriptoris, ad sententiam totius loci, ad le-gem historiae etc. et ad veritatem accom-modato.

§. 35. Cum e fontis natura aestimantur lectiones, genera singula sic fere comparan-tur, ut quae e Codicibus antiquis et non inter-polatis sunt, in dissensu plus momenti fa-ciant iis, quae de Codicibus vel recentiori-bus vel interpolatis ductae sunt: item quae de versionibus e graeco factis recte sumun-tur, h. e. ubi evidens est, quid interpres in textu

textu habuerit, paeferuntur iis, quae de Codicibus minus bonis.

Omnino multitudinem Codicum nihil momenti habere, patet. Multorum enim scriptorum omnes, quotquot habentur, codices ex uno et communi fluxere fonte (ut Tibulli, Taciti, Graecorum multorum; Virgilii duae tantum sunt Codicum familiae.)

§. 36. Utuntur autem viri docti *apparatus critico* secundum certas leges et cautiones, quarum gravissimas enumerabimus. Distinguunt enim in lectionibus variis antiquitatem, bonitatem et veritatem: sic ut veram iudicent nullam, quae non sit eadem antiqua et bona, sed non contra, omnem antiquam aut bonam, statim etiam veram. Sunt enim interdum plures lectiones antiquae et bonae, quae tamen pariter verae esse non possunt.

§. 37. Si una *antiqua et bona* est, recte praefertur ceteris: si pariter antiquarum alterutra melior, haec sequenda: (ita [Hor. Od. I. 12. 57. latum] et e pluribus aequa bonis antiquior deligenda est.

§. 38. In lectionibus pariter antiquis et bonis veritas iudicanda est partim e libris §. 35. partim ex observationibus grammaticis, idque in hunc fere modum:

Quae lectio est difficilior, rarer et exquisitior, et prima specie minus recta, vel sententia, vel forma grammatica, ea praeferranda

xenda planiori, vulgariori et rectiori: quod in illa correctionis tentatae caussa est, in hac nulla. — Sic in *Aen.* II. 234. lectio dividimus praeferenda alteri: *diffidimus*. I. 747. ingeminant *plausu* alteri: *plausum*.

Quae lectio est auctoris cuiusque consuetudini scribendi convenientior, ea potior videri debet. Largam exemplorum copiam suppeditant J. M. *Heusingeri* Emendationes.

Si e duabus lectionibus Codicum sive editorum librorum antiquis et bonis altera consentit cum aliis auctoribus qui locum ipsum adtulerunt, imitati sunt, commentati (vel quorum loca imitatus est auctor ipse) et versionibus antiquis, haec deligetur. Exempla quaere apud editores Virgilii, Silii, Lucani, Ciceronis, Taciti, Sallustii etc.

§. 39. Omnino autem veri Critici in hoc iudicio non nimis tribuunt libris, neque eos solos spectant, neglectis observationibus grammaticis etc., neque his solis fidunt, neglectis libris, cum possit aliquid bene consentire grammaticis observationibus, nec tamen verum esse. Ceterum quoniam totum hoc iudicium saepius conjectura et *αγχώνια*, quadam vertitur, modestia utuntur in iudicando.

§. 40. Quibus virtutibus praeditus esse debeat Criticus, quam iusta linguarum exquisitaque scientia, et sensu non modo recto atque

atque integro, verum etiam subtili acutoque,
quam varia et accurata doctrina, quanta de-
nique moderatione, non opus est hic pluri-
bus explicare. Fecerunt hoc praeter aucto-
res supra laudatos,

Noesselt Anweisung etc. Vol. I- §. 90.

Beck de interpretatione veterum scripto-
rum. Lips. 1791. 4. (in primis p. 35. sq.)

Ruhnkenius in Elogio Hemsterhusii, pag.
11. e. a.

Idem in Epist. crit. passim.

§. 41. Adiiciam nonnulla corruptionum
et emendationum exempla ex vulgatis aucto-
ribus, prouti in manus inciderunt, quae a
tironibus exercitationis caussa digeri possunt
et ad sua loca referri. *Sallust.* Catil. 42. lae-
tabatur *intelligens*: quam vocem delendam
censuit Corte, confirmantibus nunc codd. Es-
cur. et ed. principe. — *Ibid.* delenda sine
dubio verba *ex urbe ante profugerat*. — *Liv.*
X. 7. *duces post numerarentur delendum*. —
Cic. Epp. V. 20. del. sed ante praedes, *cum*
ante parenthesin, (quae et ipsa varie legitur:
de logio parum gratiosum, *de legato parum*
gavissimum, *gratum visum?*) — *Catull.* Epith.
272. fluctuant inter *lumina solis et limina*.
Recte *limina praefert Beck*, ut exquisitius. —
Cic. pro Archia c. 7. adolescentiam *alunt*,
agunt: utrum *preferendum?* *Ibid.* c. 4. pro:
domi-

domicilium Romae, legendum sine dubio: *in Italia*. — *Liv.* V. 6. pro: mediocre discrimin in Cod. Leid. est medio credis crimen — *Liv.* XXIV. 28 extr. militum fratre missso, delend. fratre. — *Tac.* Ann. I. 59. quam dominos et colonias novas, emendatum est: *dominos, colonias, nova*. — *Catull.* Epith. 243., pro inflati leg. infecti, exquisitus. *Carm.* LXIII. 5. leg. Demetit foeda acuta sibi pondera silice. *Carm.* XXIII. v. 15 transponendus post v. 17. — *Tac.* de Germ. c. XXV. verba: Sui-
onibus Sitonum — degenerant, transponenda
videntur ad finem cap. XLIV. *Ibid.* c. XI. ut
turbae placuit, alii; ut turba? — *Lucian.* En-
com. Demosth., in quo quae transposuerit
Gesner, vide Praefat. Chrestom. Graecae. —
Catull. Carm LXVI. 77. *expers* unguentis,
Doering emend. *explens*. *ibid.* non prius, alii:
non post, idem: *Nunc vos (non et nunc) sae-*
pius permutata, cf. Heusinger ad Cic. Off. III.
31. 2.) *Carm.* in Manl. 60. Per medium
densi transit *ire populi*, Santen emend. *iter*
scopuli. — *Propert.* II. 18. 13. Quod quae-
ris quare non habet ullus amor; *Santen* emend.
curae. — *Hor.* Serm. I. 4. 34: *odere poetas*
leg. *poetam* — *Virg.* Ecl. I. 18. coll. IX. 15.
uter delendus? *Georg.* II. 129. coll. III.
283? *Aen.* XII. 612. 613. coll. XI. 471. 472.
Judicium exerceant tirones in *Aen.* II. 76.
VIII. 45. (coll. III. 612. III. 393.) et *Georg.*
IV. 546. sq. — *Cic.* de Nat. D. I. 1. causam,
id

id est, principium, suspecta (cf. de hac formula glossatorum Scheller Observ. in prisc. scr. p. 206. e Bibl. Crit. Amst. III. p. 19. et Ruhnken ad Vell. Paterc. p. 144.) — *Vell. Pat.* II. 84. ed. Ruhnken. p. 352. Nam *de illius exemplis vitae naxuta dolabella*, Lipsius ita: Nam *Deillius exempli sui tenax ut a Dolabella*. — *Cic.*, pro Sextio c. 62. olim legebatur: *ad unum dicto citius Metelli casum*, *Manutius* emend. ex Orat. post red. in sen. c. 10. *ad Numidici illius Metelli casum*. — *Liv.* VII. 8. agmenque fugientium ab *signis*, emend. Reiz ab *Signinis*. — *Hor.* Serm. II. 3. 188. *Nil ultra quaero plebeius*, emend. Bentley: *quaere*: conf. Wieland ad h. l. — *Quint-* Inst. X. 1. p. 920. ex industria Senecam in omni genere eloquentiae, addi vult Beck *versatum*. — *Tibull.* III, 4. 42. olim erat: Edidit *hac tristi dulcia verba modo*, nunc: *dulci tristia*. — *Cic.* de divin. I. 3. extr. Id nos *ut in reliquis rebus faciamus*, emend. Ernesti: id nos in r. r. *ut faciamus*. — *Vell. Pat.* II. 30. *Reip. omnium* emend. *Romani nominis*. — *Cic.* Verr. II. 20. Res ab omni conventu cognita celeriter (*iste mutet*) domum nunciatur, emend. Herel: *isti Mucio* (Magazin für Philologen I. p. 89. sq.) — *Ibid.* c. 23. *domum ad istum (in ius) deductus est*, emend. idem: *vinctus*. — *Ibid.* c. 35. *quo tandem modo* vobis non modo, emend. idem; *animo*. — *Ibid.* II. lib. 4. c. 8. *qua iudicium est communi-*

nis

nis et privatae rei sociorum, cod. Franc. communis arcae et privatus, emend. idem: communis *ara et portus*, coll. Verr. 5. 48. 58. — Cic. de divin. II. 50. Quod finitum est, inquit, habet extreum. addit *Herel*: inquit, *id* habet. — Cic. Tusc. I. 31. et sive retractabis, sive properabis, emend. Heinrich: sive retardabis. — Prop. IV. 9. 2. venit ad *invictos nemorosa palatia montes*, emendarunt Doe ring: *intonsos*, Heinrich: *invisos vel intactos*. — Caesar de b. Gall. VI. 14. omniumque rerum habent immunitatem, emend. Heinrich: onerum. — Virg. Aen. V. 557. *praefixa hastilia ferro*, praefert Heyne: *praefixo*, (alterum magis poeticum, altero auri magis consultur: utrum *praeferendum*?) — Cic, in Verr. II. lib. 4. c. 27. Erat enim vas vinarium ex una gemma *praegrandi*, trulla excavata; ita interpung: Erat enim vas vinarium, ex una g. p. t. e. — Cic. Acad. I. 2. extr. post verba: iucunditate quadam ad legendum *invitati*, lacunam vidit Casaubonus; similiter ibid. post vocem, *prooemiis*. — Vell. Pat. II. 27. p. 160, *imagine* emend. Rubkenius magnitudine.

Notanda:

1. Nonnunquam ex corruptissima et monstrosa Codd. scriptura lectio vera optime extricatur. Vell. Pat. II. 27. in vet. exemplo erat: *praefuera Afella*, unde restitutum:

prae-

praefuerat Ofella. Ibid. II. 38. ex *habitalis.*
Possessam regibus optime ab Attalis possessam
regibus.

2. Fuerunt Critici non pauci, qui nulla urgente necessitate, sed animi caussa locos veterum scriptorum emendare conarentur, cum explorarent: quomodo melius auctor scribere potuisset. Alii saepius inferunt: *Poterat et sic auctor scribere.* Alii: *Malim ita legerem, sed nihil mutandum.*

3. Quod non primam quamque emendationem editores in textum recipient, faciunt hoc illi quidem non sine iusta caussa.

4. At nimis religiosi videntur ii, qui ne certissimas quidem emendationes in textum admitti volunt.

5. Gravem temeritatis suspicionem movent Critici, qui tres, quatuor et plures emendandi rationes suas una afferunt.

§. 42. Exempla innumera criticæ doctrinae et sagacitatis dabunt *editiones auctorum* a Casaubono, Gronovio, Drakenborch, Burmann, Bentley, Hier. Wolfio, Heinsio, Wesselink, Hemsterhusio, Valkenar, Markland, d'Orville, Toup, Thyrwith, Gesner, Ernesti, Brunk, Fischer, Beck, Heyne, Mitscherlich; Jacobs, Heeren, Ruhnken, F. A. Wolf. etc. et *collectiones dissertationum* et animadversionum in varios auctores, sub titulis: *Verisimilia*, *Diversae lectiones*, *Variae lectiones*, *Suspectae lectiones*,

Obser-

Observationes, Miscellanea critica, Epistola criticac, Curae, Annotationes, Emendationes, Probabilia, Adversaria, Lectiones memorabiles, Thesaurus criticus, Lampas critica etc. etc.

B. Critica librorum.

§. 43. Exstant hodie multi libri *incertorum auctorum*: alii certis auctoribus *falso adscripti*: in multis *singulac partes* (in primis exordia et epilogia) spuriae videntur. Subest in talibus quoque vel *fraus aliqua*, vel *casus et negligentia*.

a. *Fraude et consulto suppositi libri* sunt claris auctoribus tum *olim*, tum *recentiori aetate*, ad commendationem alicuius opellae, ex odio et invidia erga illos scriptores, ad tuendam et propagandam aliquam sententiam auctoritate clari nominis (quod in primis in Patr. Eccl. factum est) etc. De *Annio Viterbiensi falsario res nota*.

b. *Casu*, cum librarii et codicum possesseores suas quasdam commentationes foliis vacuis adscriberent, paraphrases, animadversiones; cum iidem temere nomen aliquod, probabili quadam ratione ducti, praefigerent libris; saepius etiam illorum nomina pro auctorum nominibus accepta videntur; saepissime, quae ad calcem alicuius libri adscriptae fuerant incerti auctoris opellae, ipsi illi

illi auctori tributae sunt, cuius nomen in fronte legebatur etc. etc.

§. 44. Duplex igitur munus habet haec critica, ut 1, quod libros incertorum et anonymorum auctorum attinet, inquirat, ad quae fere tempora referendi sint, quibus auctoribus probabiliter tribuendi? 2, in reliquis vero demonstret, eos auctorum illorum, quibus tribuuntur, esse non posse. Saepissime utrumque faciendum.

§. 45. Examinatur autem librorum auctoritas.

a. ex argumentis *externis*, ubi quaeritur: num talis liber ab aliis auctoribus nominatus sit et laudatus, et cui tributus? num ab ipso auctore in aliis suis scriptis laudatus, significatus? num alibi loca inde aut vocabula alata? etc. etc.

b. ex argumentis *internis*, ubi respicienda est: aetas auctoris, vitae conditio, scribendi ratio, consensio cum aliis eius scriptis: Potuitne talia scribere, voluit, debuit? Suntne haec eius ingenio accommodata? etc. etc.

Atque haec quidem momenta, cum saepissime inter se pugnant, utra praferenda sint, quibuscum cautionibus adhibenda; hoc ad certos canones referri, qui universe valent, non ita facile potest.

§. 46. Praestat exemplum afferre iudicij critici. Legitur in calce operum Taciti libellus,

lus, qui vulgo inscribitur: *Dialogus de Ora-
toribus, sive de causis corruptae eloquentiae,*
quem alii aliis auctoribus tribuunt: plurimi
Tacito, non pauci *Quinctiliano*. (Cf. Schulzii
Proleg. edit.)

I. Videamus, an *Tacito* sit tribuendus?

A. Codices manuscripti nomen *Taciti*
prae se ferunt. At

a. nondum liquet, utrum hi codices,
nomen *Taciti* in Dialogo clare ex-
primant, an vero libellus tantum
ad calcem operum *Taciti* sit ad-
sutus:

b. omnino saepius a librariis ipsis in
talibus peccatum est §. 43. n. b.

c. Codicium *Taciti*, quos habemus,
unum tantum fuisse fontem, evin-
xit *Ernesti* praef.

B. Pomponius Sabinus quidam in car-
mine haec adnotat: *Corn. Tacitus appellat scri-
pta Maecenatis calamistros*. Occurrit autem
eiusmodi dictio nullibi, nisi in hoc Dialogo
c. 26. At

a. iste Pomponius, medii aevi Gram-
maticus, recentior est, quam cuius
auctoritas quidquam decernat.

b. Forsan in aliis *Taciti* scriptis, quae
interierunt, tale iudicium iste
Pomponius reperiit.

C. Aetas in *Tacitum* convenit oppor-
tue. Exceptum esse hunc dialogum anno sexto

principatus Vespasiani, (75 post Chr.) notatum est ab auctore cap. 17., se tunc admodum iuvenem fuisse, testatur idem cap. I. Jam sive Tacitus natus est circ. 59. 60. post Chr., sive 54, bene dicere potuit, se tunc admodum iuvenem (annorum circ. 16 vel 22.) fuisse.

Vere quidem: sed hoc totum argumentum eo tantum valet, ut efficiatur, Tacitum esse posse libri auctorem. Potuit etiam Plinius, et quis non?

D. Anceps quidem et lubricum videtur argumentum a scribendi ratione desumptum.

a. Inest quaedam similitudo cum Taciti dicendi genere in singulis locutionibus. Dial. c. 5 *accinctum et minacem coll.* Ann. XVI. fin. *torvum et min.*

Porro usitatum nostro, iungere synonyma, quod et Tacito non infrequens est, ut c. 15. 16. 17. *vetera et antiqua.* c. 6. 8. *nova et recentia,* c. 6. *veteres et senes.* coll. Hist. l. III, de Germ. c. 1. Vit. Agr. c. 4. etc.

b. Deest autem in universum concisa illa brevisque dictio Taciti, acutum constrictum et severum dicendi genus, quod in reliquis eius libris deprehenditur. At respondere possis:

aa. aetate mutari dicendi genus eiusdem auctoris: Tacitum hunc dialogum

logum forsan scripsisse aetate florente, reliqua senem factum.

bb. aliud dicendi genus requiri in historia, aliud in dialogis.

cc. in hoc Dialogo auctorem facere alios loquentes, atque data opera eorum verba et orationis formam sequi (cap. I. extr.)

E. Non aliena videtur haec tractatio a reliquis Taciti studiis, conf. Plin. Ep. I. 20.

Levissima sane ratio, quam non opus est accuratius explorare.

2. An *Quinctiliano*?

A. Ipse Quinctilianus commemorat in Inst. Orat., se eandem quaestionem libro singulari tractasse. Lib. VI. prooem.. *librum quem de caussis corruptae eloquentiae emisi*. Lib. VIII. c. 6. *in eo libro, quo caussas corr. el. red-debamus*. V. c. 12. *Sed hanc et in alio nobis tractata sunt opere*. cf. VIII. c. 3. *Totidem autem e. s. p.* (Nota, in Quinctiliano *librum* dici, ex more lat. scriptorum, qui poëmata, singulas orationes et similia vocant *libros* cap.

3. 21. 38. et Quinet. passim.)

Ad haec respondeas:

a. titulum dialogi nostri a Lipsio primum fuisse praefixum: *de caussis corruptae eloquentiae*.

b. Ea loca oratoria, propter quae Quinctilianus lectores amandat ad librum suum de c. c. e., ut de hy-

C 2 per-

perbole VIII. c. 6., in nostro dialogo ne verbo quidem attingi. Ac si quis objiciat, librum nostrum hiare lacunis, forsan illa excidisse, is cogitet, illas lacunas non adeo insignes esse, neque omnino tam ampli propositi modum in libellum hunc nostrum cadere, in quo nihil specialium de arte oratoria praceptionum reperitur. (Dicit autem *Quinctil.* VIII. c. 6. eundem locum *pleniū* in eo libro tractavimus.)

B. Manifestus appetet consensus iudicij et sensuum in hoc dialogo dispersorum cum iudiciis Quinctilianii.

a. At possunt etiam loca similia ex Ciceronis scriptis rhetoricas congeri, neque igitur hac sententiarum conspiratione multum effici posse videtur.

b. Contrarii vestigia vide mox post D.

C. Stilus Dialogi nostri Quinctilianeo similissimus.

a. Alii contrarium videre sibi videntur, unde appetet, quam anceps sit hoc argumentandi genus.

b. Vocabula singula, quae in Dial. occurserunt, Fabio familiaria, parum ad rem faciunt expediendam. Neque enim hodie

hodie liber, in quo Wielandianae locutiones occurunt, ideo statim Wielandio tribuitur, Kantio Kantianae etc.

D. Aetas convenit: modo ne nimis urgeas illud: *admodum iuvenis*, (fuit enim Quintiliamus sexto Flaviani imperii anno 33 aut 36 annos natus) quod fictum esse potest ad similitudinem Platonicarum fictionum e. g. in Parmenide, et rhetorica quasi figura, in dialogis non rara.

At vide, quae de Taciti aetate dicta sunt ad C.

D. Scriptus est dialogus ad Justum Fabium, Plinii iunioris amicum. Plinius autem Quinctilianum habuit magistrum. Ita haec bene inter se conveniunt.

Sed talibus nihil promovetur quaetio, nisi de primariis argumentis liqueat.

Praeter ea, quae diximus huic rationi posse opponi, attendendum est quoque ad haec:

Sunt, e quibus aliquis dissensus dialogi nostri cum Quinctiliano suboleat.

Auctor dialogi ait, se adsectatum esse (tanquam iuvenem) Julium Secundum et Aprum (ideoque maiores natu et dicendi magistros, (cap. 2.) cum tamen Quinctilianus (X. c. 3.) illum vocet *aequalem* suum, *Aprum* vero et *Maternum* ne nominet quidem.

Prius

Prius facile condonemus, cum Latini
aequiles dicant etiam eodem aevo viventes,
(cap. 22.)

2. Noster de usu *paenularum* in iudiciis
queritur, (cap. 39.) Fabius contra de *togae*
cultu usque praecipit, (XI. c. 13.) tanquam
amictus oratorum vulgaris.

3. Messala et Maternus gravissimi collo-
cutores, saeculi istius ingenia maxime con-
temnunt, cum Quintilianus contra eadem
admodum laudet (X. c. I. 122.)

At videtur tamen idem Qu., cum de
caussis *corruptae* eloq. scripserit, anti-
quis palmam prae recentioribus conces-
isse, ut alia raceam e. g. fuisse hunc
dialogum forsitan lusum ingenii etc. *)

4. In dialogo nostro Bassus vocatur ab-
solutissimus poëta (cap. 5.) Quintilianus vero
in Basso ingenium immaturum reprehendit
(X. c. I. 99.)

Sed haec et his similia facillime tollun-
tur, si cogites, diversis forsitan tempori-
bus hos libros fuisse scriptos; Quintili-

*) Quoties hunc dialogum iucundissimum legi, visus
sum mihi satyricum in eo vultum deprehendere.
Conferantur in primis capp XL. et quae sequuntur.
Laudat ibi Maternus, sub cuius persona ipse sine
dubio auctor later, illius temporis felicitatem, bene
constitutam civitatem, bonos mores, optimorum ci-
tum consensum de rebus publicis: serione, du-
